Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66763-p0001-8

20

DECANUS COLLEGII THEOLOGICI LECTORI
S. P.

Eccleſiam Chriſti haud abſimilem eſſe cuidam pomario, variis arboribus conſito & referto ex ſacrarum literarum monumentis perſpicuum & manifeſtum eſt. Ut autem in pomario eleganter conſtructo juxta arbores annoſas & paulatim marceſcentes plantari conſueverunt arbores novellæ, quæ illis ſuccedant & emarceſcentium locum ubertate & fertilitate fructuum compenſent, & ſic damnum quaſi ſarciant: Conſimili modo & in Eccleſia Chriſti & in Academiis ac ſcholis benè conſtitutis ut procedatur ſumma poſtulat & urget neceſſitas. Novimus enim, Eccleſiam Chriſti ſine verbi & Sacramentorum uſu & adminiſtratione, Academias verò & Scholas ſine Profeſſoribus Sapientiæ & Scientiæ ſpiritualis conſiſtere minimè poſſe, ſed omnia opinione citius in pejus ruere & retrò ſublapſa referri, niſi ſint, qui improbis Sathanæ moliminibus & conatibus fortiter obſtent, errorum in doctrina falſitates detegant, adverſariorum Sophiſmata refellant, & è contrario doctrinæ divinitus patefactæ veritatem ex ſolidis ſacrarum literarum fundamentis aſtruant & defendant. Cum autem & hi mortales ſint, & abſoluto vitæ ſuæ curriculo ac laborum penſo ad optatam patriam commigrent, collectis ipſorum animabus in faſciculum viventium, utiq; peſſimè conſultum eſſet tàm Eccleſiæ quàm Academiis, niſi hinc evocati & ſtatione ſuâ decedentes poſt ſe relinquerent quaſi ſemen quoddam, Viros nimirum ætatis vigore, virium robore & ingenii dexteritate pollentes, qui prædeceſſorum loca occuparent, meſſem eorum ſubirent & doctrinæ cœleſtis depoſitum ipſi quoq; ad poſteritatem tranſmitterent, ita quidem, ut theſaurus ſincerioris doctrinæ ſartus tectusq; in mundo perduret ad glorioſum usq; Filij Dei, vivorum & mortuorum judicis adventum: In hanc curã & ſolicitudinem vel ipſe Paulus Apoſtolus, electum illud Dei organum & Doctor gentium incubuit, qui non modò ipſe in propagandâ Evangelij doctrinâ nulli pepercit operæ & induſtriæ ſuſcipiendo peregrinationes propemodum infinitas, terrâ mariq;, & dies noctesq; laborando, ut multos Chriſto lucrifaceret, ſed & Timotheo ſuo, filio dilecto, & diſcipulo γνησίῳ depoſitum à Chriſto acceptum fideliter cuſtodiendum graviter demandavit, 1. Tim. 5. ubi ait: Eſto in his, quæ à me audiviſti per multos teſtes, commenda hæc fidelibus hominibus & idoneis ad docendum alios. Quodipſum & ante Paulum factitârunt Patres & Prophetæ ſanctiſſimi, qui in eam curam incubuerunt maximè, ut diſcipulos informarent, quorum operâ cultus Idololatrici & zizania ſimilia in agro Domini emergentia eradicarentur, & Eccleſiæ Dei ſua ſalus & incolumitas conſtaret, quemadmodum in Schola Samuelis Prophetæ, Eliæ, Eliſæi, Danielis & aliorum videre eſt. In eandem curam, mortalitatis noſtræ memores nobis quoq; incumbendum duximus, ut relinquamus poſt nos ὄργανα εὔχρηστα, & ſucceſſores ejuſmodi, qui non modò veritatem doctrinæ cœleſtis, gladio Spiritus Sancti propugnent, ſed & quorumvis hæreticorum præſtigias & Sophiſmata ab Eccleſia Chriſti propulſent, præſertim hiſce noviſſimis mundi paulatim ad interitum vergentis fecibus, de quibus Salvator ipſe vaticinatus eſt, ſe vix uſpiam, ubi venerit, fidem reperturum in terris: Et nota eſt vox Johannis Evangeliſtæ & Apoſtoli Apoc. 12. Væ habitatoribus terræ & maris, quia Sathanas deſcendit ad eos, habens iram magnam, ſciens quod parum temporis ad judicium ſuperſit. Quò itaq; propius imminet Domini ad judicium reditus, eò gravius & impenſius id operam dat verſutiſſimus ille Spiritus, & Eccleſiæ Chriſti hoſtis infenſiſſimus, ut multos à veritate abducat, & in errorum præcipitia agat præcipites. Hujus igitur aſtutis conatibus ut maturè obviam eant fideles Eccleſiæ & Scholarum miniſtri ſumma & inevitabilis poſcit neceſſitas: In horum autem numero non poſtremas obtenturos eſſe confidimus, Viros Reverendos & clariſſimos, Dn. Leonhartum Rechtenbachium Salzenſem, Eccleſiæ Leucopetreæ Paſtorem, & Vicinarum Superattendentem vigilantiſſimum, nec non Dn. Chriſtophorum VVilhelmi VValpurgerum Lipſienſem, deſignatum Academiæ hujus Profeſſorem, & Illuſtr. Principis Elect. Alumnorum Inſpectorem fideliſſimum, utrumq; SS. Theologiæ Licentiatum, qui ſuperioribus annis, vigore ſtatutorum noſtrorum ad Examen publicum diverſis vicibus admiſſi, ita ſuam Collegio noſtro probaverunt induſtriam, ut digni judicati ſint, quibus non modò primus in Theologia Gradus, quem Baccalaureatum nominant, ſed & conſequentibus annis Licentia ſeu poteſtas aſſumendi Gradum in Theologia Doctoralem conferretur. Novimus enim & reipsâ experti ſumus, quod Scripta Biblica, Prophetica pariter & Apoſtolica nocturnâ diurnâq; manu verſaverint, & præter τὰ διδακτικὰ in polemicis etiam ſcriptis evolvendis & dijudicandis multùm ſtudij & diligentiæ poſuerint. Quin & publicis Scriptis hoſtibus veritatis jampridem ſeſe opponere cœperunt, & inde hoc laudis à bonis quibuſvis conſecuti ſunt, ut vix futurus ſit quiſquam, qui eos tiarâ Doctorali indignos pronunciaturus ſit. Accommodârunt ſeſe præterea in honorum petitione Statutis noſtris, ita quidem, ut primùm omnium, propoſitis, tàm ex Novo, quàm Veteri Teſtamento materiis, examine rigoroſo ipſorum profectus exploraverimus, nec non diſputationibus publicis publicæ hujus Academiæ paleſtræ explorandos propoſuerimus, ubi tales ſeſe declarârunt, ut deprehenſum ſit, eos in volumine Biblico non obiter eſſe verſatos, ſed eam ſibi comparaſſe rerum Theologicarum cognitionem, ut digni ſint, quibus Inſignia Doctoralia conferantur. Producemus autem Vtrumq;, Deo benè juvante, ad diem Jovis proximum, & eoſdem in Æde Paulinâ conſuetis ritibus & Ceremoniis Sacræ paginæ Doctores publicè renunciabimus. Ad quam πανήγυριν ut non modò Magnificus Dominus Prorector, & Proceres Academiæ noſtræ, unà cum aliis hoſpitibus, tàm domeſticis quàm peregrinis, ſed & Nobiles ac Studioſi adoleſcentes frequentes conveniant, & Actum hunc ſolennem, ſuâ præſentiâ, modeſtiâ & piis ad Deum precibus condecorent, officioſè & amanter rogamus: Experientur à Nobis viciſſim in conſimili officiorum genere animi noſtri promptitudinem cum ſingulari benevolentiâ & gratæ mentis memoriâ conjunctam. Propoſ. Lipſiæ die 28. Auguſti, Anno 1614.

Laurentius Coberus Imprimebat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66763-p0003-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66763-p0004-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66763-p0005-0

DECANUS COLLEGII THEOLOGICI LECTORI S. P.

ECcleſiam Chriſti haud abſimilem eſſe cuidam pomario, variis arboribus conſito & referto ex ſacrarum literarum monumentis perſpicuum & manifeſtum eſt. Ut autem in pomario eleganter conſtructo juxta arbores annoſas & paulatim marceſcentes plantari conſueverunt arbores novellæ, quæ illis ſuccedant & emarceſcentium locum ubertate & fertilitate fructuum compenſent, & ſic damnum quaſi ſarciant: Conſimili modo & in Eccleſia Chriſti & in Academiis ac ſcholis benè conſtitutis ut procedatur ſumma poſtulat & urget neceſsitas. Novimus enim, Eccleſiam Chriſti ſine verbi & Sacramentorum uſu & adminiſtratione, Academias verò & Scholas ſine Profeſſoribus Sapientiæ & Scientiæ ſpiritualis conſiſtere minimè poſſe, ſed omnia opinione citius in pejus ruere & retrò ſublapſa referri, ni ſint, qui improbis Sathanæ moliminibus & conatibus fortiter [illegible] & è contrario doctrinæ divinitus patefa[illegible] & hi mortales ſint, & abſoluto [illegible] faſciculum viventium, utiq; p[illegible]poſt ſe relinquerent quaſi ſemen[illegible]ſſorum loca occuparent, meſſem[illegible]n, ut theſaurus ſincerioris doctri[illegible] adventum: In hanc curã & ſolic[illegible]on modò ipſe in propagandâ Eva[illegible]terrâ mariq; & dies noctesq; labo[illegible] à Chriſto acceptum fideliter cuſtodiendum graviter demandavit, 1. Tim. 5. ubi ait: Eſto in his, quæ à me audiviſti per multos teſtes, commenda hæc fidelibus hominibus & idoneis ad docendum alios. Quod ipſum & ante Paulum factitârunt Patres & Prophetæ ſanctiſsimi, qui in eam curam incubuerunt maximè, ut diſcipulos informarent, quorum operâ cultus Idololatrici & zizania ſimilia in agro Domini emergentia eradicarentur, & Eccleſiæ Dei ſua ſalus & incolumitas conſtaret, quemadmodum in Schola Samuelis Prophetæ, Eliæ, Eliſæi, Danielis & aliorum videre eſt. In eandem curam, mortalitatis noſtræ memores nobis quoq; incumbendum duximus, ut relinquamus poſt nos ὄργανα εὔχρηστα, & ſucceſſores ejuſmodi, qui non modò veritatem doctrinæ cœleſtis, gladio Spiritus Sancti propugnent, ſed & quorumvis hæreticorum præſtigias & Sophiſmata ab Eccleſia Chriſti propulſent, præſertim hiſce noviſsimis mundi paulatim ad interitum vergentis fecibus, de quibus Salvator ipſe vaticinatus eſt, ſe vix uſpiam, ubi venerit, fidem reperturum in terris: Et nota eſt vox Johannis Evangeliſtæ & Apoſtoli Apoc. 12. Væ habitatoribus terræ & maris, quia Sathanas deſcendit ad eos, habens iram magnam, ſciens quòd parum temporis ad judicium ſuperſit. Quò itaq; propius imminet Domini ad judicium reditus, eò gravius & impenſius id operam dat verſutiſsimus ille Spiritus, & Eccleſiæ Chriſti hoſtis infenſiſsimus, ut multos à veritate abducat, & in errorum præcipitia agat præcipites. Hujus igitur aſtutis conatibus ut maturè obviam eant fideles Eccleſiæ & Scholarum miniſtri ſumma & inevitabilis poſcit neceſsitas: In horum autem numero non poſtremas obtenturos eſſe confidimus, Viros Reverendos & clariſsimos, Dn. Leonhartum Rechtenbachium Salzenſem, Eccleſiæ Leucopetreæ Paſtorem, & Vicinarum Superatten-